Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oratio De Ortv, Vitae Cvrricvlo Et Beata ex his terris migratione Reverendi viri Pietate, Ervditione, Sapientia & rerum vsu praestantis Christophori Binderi Abbatis Adelbergensis

Hermann, Christoph

Tvbingae, 1597

X.

urn:nbn:de:bsz:31-131212

Visual Library

Nunquam se tali tellus iactabit alumno,
Cur? Candor, pietas falce resecta iacent.
Heu pietas, heu prisca fides, veneranda senecta,
O mihi contingat, rumpere fata eadem.
I decus, î nostrum, cœlestia gaudia sume:
Sic Domino placuit: non equidem inuideo.
Tu Binderus eris rumpantur ut ilia Codrò,
Et vertat liuor viscera Mome tibi.

M. Christophorus Binderus, Roßvveldensis SS. Theolog. studiosus Nepos.

X.

HEu quàm nostræ nimium est dubia alea vitæ?
Quamq; breuis variat sæpius hora vices?
Heu heu triste malum subitò fert fama per auras,
Heu inopina senis nuncia mortis Aui.
His moritur terris, qui spes, qui solus Asylum;
Postquam quinq; videt denaq; lustra senex.
Heu infesta dies multas dedit una querelas;
Vna mihi multi causa doloris erat.
Nunc venerande iaces, Aue Mi? nunc flebile funus?
Nunc sine voce caput, linguaq; muta tua est?
Iam sine te; sine Patre procul; sine Matre relinquar?
Heu oculi tristes nil nisi triste vident.
Sed quid sic nimio iuuat indulgere dolori?
Flebilibus lachrymis quem reuocamus humo?
Non mors longæuæ venit immatura senectæ:
Mors miserâ hac cunctos debita sorte necat.
Nunc inuenta quies; longi nunc meta laboris:
Sæpè optata modum fecit in orbe seni.

Post-

Postquam animas Christi plures sacrauit ad Aram,
Et vigili fecit pectore vota DEO.
Libera mens curis cœlo requiescit in alto,
Fessaq; iam dulcis lumina somnus habet.
Sit tibi qui cernis, sortiris, & omnia mutas,
Pro tot Auo donis, laus sine fine, DEVS.
Da qui cuncta potes, iungat se luce suprema
Mens, quæ nunc abÿt, corpore læta suo.

Christophorus Binderus, Ratisponensis Philosophiæ stud. Nepos.

XI.

ET nunc, ô AVE mi, mortalibus abderis umbris,
Ingrediturque urnas optima canities.
Non ea spes animo: nam te immortale putabam
Numen, fucatis esse sub induuijs.
Ob pietatis opes, corpusque per omnia tale,
Quale ferunt Diás olim habuisse animas.
At quas ô lacrymas (mea enim me causa fefellit.)
Legerit ex oculis arida terra meis?
Adiecere suas Gnati, Generique, Nepotesque,
Et coniux, vacuo quæ iacet una thoro.
Et multa elatis pleno singultibus ore
Dixerunt, cineri magna futura tuo.
His, AVE mi, superaddo lubens TRIA verba doloris,
Quæ mihi & æterni symbola amoris erunt:
Tv per Mundanos fluctus CHRISTVM usq; FEREBAS:
CHRISTVS in ætherio TE vehet Eridano.

M. Ioan. Gotfridus Thum SS. Theolog stud. Nepos.